

AB

52  $\frac{17}{K_3}$













Hagenkampii Uraticuncula.

1773 - 27. 10. Mai Pötsch

19. ——— Dörmann  
Eberh.

2 Jul

7 Aug. von C.

11 Aug. Holz.

1. Sept. Dörm.

7 ——— in Krigel

18 Sept. Th. u. M.

20 Sept. Dörm.

30. 7. Br. u. M.

12 Oct. Louis

26 Oct. v. H.

1774 12 Mart. H.

18 April. Pötsch

————— Jäckel

13 May. H.

6

0. 1/2.



L. d. 468

*Jns*

oo

R

*Th*  
*IV*



Universitäts-  
und Landesbibliothek  
DDR 401 Halle/Saale I  
August-Nebel-Straße 13 u. 50

*Theologie* 9  
*P. n. 275. 552.*





I. G. HASENCAMPPI  
GYMNASII DUISBURG. RECTORIS

ORATIUNCULA  
DE  
OPTIMA CUM IUDAEIS  
DE  
RELIGIONE  
DISPUTANDI METHODO

EDITA  
A  
I. C. LAVATERO  
V. D. M. TURICI.



FRANCOFURTI AD MOENUM  
Typis et impensis Haeredum I. L. Eichenbergii,  
MDCCLXXII.

6  
0.42

I. G. HÄSSENCAMP  
Gymnasii Director

# ORATIONES

OPTIMA CUM IUDAEIS



# RELIGIONE

DISPUTANDI METHODO

EDITA

I. C. LAVATERO

V. D. M. TURIC.

AB 52  $\frac{17}{R, 3}$

MDCCLXXII  
Typis et in aedibus J. E. Neubergeri  
MORUM



4

257





VIRO CELEBERRIMO,  
DOMINO  
DETHARDO IKENIO,

Magni quondam  
in orbe literato luminis in scriptis adhuc et in perpetuum  
lucentis Doctoris, Professoris ac Pastoris  
Bremenfis Primarii

CONRADI IKENII

Filio dignissimo, haecenus in pagis *Bremensibus* Conciona-  
tori sacro doctissimo, disertissimo, virtutum  
clarissimarum studiosissimo,

a *Duisburgensibus* iam ad animas sapientia ac veritate pascen-  
das honorifice electo hisce pagellis *Ministerium*  
*Duisburgense* sacrum

GRATULATUR EX ANIMO:

A 2

Nec

Nec non

hanc de optima cum *Iudaeis* de *religione* disputandi ratione  
oratiunculam qualemcunque

EXCELLENTISSIMO

INTER IUDAEOS PHILOSOPHO,  
MOSI BEROLINENSI,  
MENDELII FILIO,

*Veri ac boni* amantissimo, genti *Iudaicae* non solum, sed et  
ipfi orbi *Christiano* lucem, proh dolor!

petulanter obscuranti, facem magis magisque praefaturo,

in gaudium beatorum suorum maiorum

ineffabile,

officiosissime simul dicat ac dedicat amicissimus Auctor,

*veri* studium ac *boni* magis quam

*famae* quaerens.

*Faveat*



Faveat nobis Deus et Dominus noster JESUS CHRISTUS, ut sancto nobiscum Spiritu communicato omnia recte intelligamus, recte agamus, recte eloquamur!

§. I.

Cui usui A. O. O. H. de Religione disputare? Nonne ratio sub fidei obedientiam captanda? plebis inprimis, in cuius intelligentiam non cadat res adeo subtilis? Nonne Spiritus Sanctus pro suo arbitrio homines illustrat, quibus favet, non habita humanae operae ratione? Quid opus, omnipotenti succurrere?

Dolendum sane, has fanaticae focordiae voces adhuc inter nos audiri! ignaviae inventum, quae sepius sapientior sibi videtur, Salomonis verbis ut utar, quam qui seite respondent, solerter disputando. Quid quaeso Religio, abiecta ratione? Miserabile phantasma, monstrum horrendum ingens, cui lumen omne ademptum! Nonne omnis homo per rationem religionis est capax? Ubi nulla ratio, ibi nec minimum religionis locum habere potest. Nonne ipse Dominus noster Jesus Christus sui temporis doctores ideo vehementer taxat, quod rationis humanae culturam in religione tradenda neglexerint, quod partem hanc legis divinae praecipuam, regum, iudicium (et quid hoc hoc aliud praeter rationis usum?) omiserint? vae illis: exclamando? Et ad ipsum vulgus, ad plebem, Dominus haec verba fecit: Dum videtis exorientem ab occasu nubem, continuo dicitis, adventare pluviam; atque ita fit. Et dum spirantem austrum, dicitis, aëstum futurum; id quod fit. Ficti homines! terrae coelique factem discernere scitis: TEMPUS HOC, qui fit ut non DISCERNATIS? Aut cum EX VOBIS IPSIS NON IUDICATIS EX AEQUO?



Ita *rationis* usum ipsi *volgo Dominus* iniunxit, Dominus, sapientissimum Numen humana forma indutum. Nonne et infimae sortis hominibus sunt oculi in capite, quibus opera divina ante se posita inveniuntur, ut in rebus creatis creatorem cognoscant, agnoscant, venerentur, adorent? Nonne plebi vel maxinae rudi sunt aures in capite aequae ac eruditissimo quibus alitum voces, divinas decantantium laudes, audiat sonoras? Nonne omnis generis labore, negotiis domesticis, rusticis subigitur etiam plebis ingenium, et colitur *ratio* saepe melius, quam logicarum regularum cumulo illorum ratio, qui scientiis student ex vano *sui* amore, non amore *veri* ac *boni*, quique saepius cum ratione insaniant?

Spreto *rationis* in religione usu, quis non sua aliorumque phantasmata, cerebri fragmenta pro divinis venditabit dogmatibus? Quomodo, ne decipiamur, cavebimus, nisi adhibita ratione, rationes pro et contra alicuius doctrinae fidem, nisi rationes *dubitandi*, ut ita dicam, ac *decidendi*, aequa ponderemus lance?

Tantum abest, ut *rationis* usu in inquirenda religione, seu, quod idem est, *de religione disputare*, divinis prohibeamur oraculis, ut potius ideo homines aeternae salutis iacturam facere, perire, ad tartara detrudi censeantur, quod *rationem* in *religione* neglexerint, quum ea in rebus *levioris* momenti vel maxime utantur, quin *abutantur* in malis. Oculum cernentem, aurem audientem largitur *Dominus*. Vos aures habetis, *neque tamen auditis*; oculos, *nec videtis*. Hoc modo *lumen*, quod in te est, cum *extinxeris*, *quantae* TUM TENEBRAE erunt!

Nonne idem hoc docet Apostolus eodem in loco, quo abutitur superstitiosa levitas, cum ad Corinthios scribat, se *HOMINUM cogitationes deturbare*, seu quod idem est, humana phantasmata ac fragmenta refellere, veritari noxia, et *omnem sublimitatem contra DEI COGNITIONEM elatam*, *omnemque mentem ad obediendum CHRISTO adigere*. *Mentem ad obediendum Christo adigere*: quid quaeso aliud est,

quam



quam verum rationis usum ex CHRISTI doctrina docere, CHRISTI praeceptis animos imbuere, quibus optime colitur ratio ac perficitur?

Nonne ipsi Apostoli, prae ceteris licet Spiritu Sancto acti, rationes inter se contulerunt? de religione disputarunt? Quid sibi aliud vult concilium Apostolorum Hierosolymitanum? Nonne Paulus acriter disputavit cum ipso Petro et sociis, quum videret, eos simulantes non recte se ad Evangelii veritatem gerere? Et

Quali exemplo ipsa praeivit nobis Sapientia aeterna humana natura vestra? Nonne in pueritia iam interrogando ac respondendo, id est disputando, assumptam exercuit naturam eamque indies exercitatione reddidit perfectiorem? Et publico docendi munere functus Dominus noster optimus & maximus, quoties quaestiones de religione varias proponi sibi passus est! & quam solida dignatus responsione! Quam solerter discipulos suos interrogando, respondendo, diversimode colloquendo, id est, disputando, instruxit! Quam acriter, quam vehementer saepe cum inimicis veri ac boni disputavit, ut obtinebratam in apricum produceret veritatem, omnibus conspicuam daret!

Non expectabant a Spiritu Sancto Apostoli ipsi, quod homines absque humana opera Christianismum docturus foret. Ipsi missi erant, ut homines docerent; per Apostolos docuit Spiritus Sanctus: quemadmodum ipsi antea verba Domini didicerant, quae sibi communicata secum magis magisque Spiritu Sancto clariora redderentur, victa superstitione Iudaica, culta magis ratione eaque penitus in ipsas veritates intrante.

Et quid Paulus cum Iudaeis, cum tamen proprius ceterarum gentium Apostolus esset? Nonne doluit occaecantium se, contra verum & bonum occallentium, miserabilem vicem? Nonne studuit, quo meliori potuit modo, illorum excitare attentionem, rationem colere, ingenium acuere? Nonne valde cum illis disputavit, collatis divinis scriptis prophetiis cum rebus Iesu Nazareni gestis? Quam clare hoc testantur



testantur Apostolorum acta! Hos imitemur Antesignanos! Ita misereamur gentis commiseratione vel maxime egentis! Quoties occasionem nobis suppeditat divina providentia, toties verum ac bonum in Iudaeorum pectora insinuare studeamus, sanctitate morum non solum, sed prudenti etiam ac serâ disputatione, ut novum illis in amplo veritatum campo prospectum aperiatur, ut verum ipsi videant, visumque ament, aestiment, fateantur, praesent.

§. II.

De hac cum Hebraeis *optima colloquendi ratione*, pace omnium Vestra, A. H. paucis disseram, stirpis Israëlitaë venerator sincerus, quae ut auribus accipiatis secundis, enixe rogo.

Fundamenti loco hic etiam ponamus, quod, si cum aliis de religione sermocinandum, ut eos erroris convincamus et aberrantes in iustum reducamus tramitem, *non exordium sit ab eo, quod alter negat: alias enim nos minime audit. Incipiendum ab eo, quod concedit, ac inde pedetentim paullatim veritates deducendae adversario haëtenus ignotae aut suspectae: quemadmodum in redarguendo non a malo, quod in alio deprehendimus, sed a bono qualicumque, quod in eo detegendum curemus, ad meliora progrediendum, a melioribus ad optima tandem, quam rectitudinis methodum ipse Paullus vivo suo ipsius exemplo in epistolis nos docet. Fiar ad Iudaeos applicatio.*

Multa cognoscunt *vera*, etiã si falsis commixta. *Deum* eumque *unum* fatentur, totius universi creatorem, conservatorem, moderatorem. Concedunt animarum *perennitatem*, corporum *resuscitationem*. Agnoscunt ulteriorem *revelationem divinam scripto consignatam* a Mose ceterisque suis ipsorum vaticis, divinitatis auctoramentis et multis et evidentibus instructis.

Quam amplus et largus cum Iudaeis de religione amice ac serio colloquendi campus, antequam in diversas eundum partes! Laudemus quicquid veri eorum de *Deo* notiones iunctum sibi habent. Acua-



mus illorum attentionem ad opera *Dei* mirabilia semper, magna, stupenda, ut venerentur eum, cuius manus tellurem fundavit, cuius dextra palma coelos metata est. Comparemus *temporaria* cum *aeternis*, ut horum momentum ex illorum vanitate ac fuga serio meditentur, agnoscant, diligant. Dirigamus eorum mentem in considerandas pravas, humiles, abiectas, iniustas, horrendas hominum inclinationes, ut votum *libertatis* excitetur, ipsius Domini methodo.

Prophetarum, Psalmorum, Proverbiorum in primis Solomonaeorum lectionem pro divinis ab illis ipsis agnitorum eis insinuemus, quibus pateat frivola superstitio, ratio colatur, iudicium exerceatur, veri ac boni incendatur amor: absque rationis enim cultura doctrina Christiana inutilis profus est. Ideo *Baptista Ioannes* ipsi Domino praemittebatur, ut Iudaeorum attentionem acueret, rationis usum ad dissipandam superstitionem introduceret, axiomata moralia iniungeret, repereret, quibus non solum mores, sed ipsi etiam animi innotescerent corrupti, meliora desiderarentur, deterioribus exosis. Colloquamur cum Iacobeis de rebus olim inter suos maiores a Deo gestis, ut reverentia et amor in Deum suorum patrum renovetur.

Commendemus illis studia philosophica, historica, chronologica in primis, ut eo facilius de legatis *Novi foederis*, de rebus *Iesu Christi* eiusque *Apostolorum* gestis attente iudicent et sane, quo divinitatis legatorum suorum *veterum* meditatione certiores evadunt; ut eo felicius ad relinquenda, contemnenda Talmudistarum futilia adducantur, quo studium *veri* genuino studio philosophico, historico, chronologico reddi solet accuratius! Exemplum, celeberrimus *Moses Berolinensis*, quem veritatem, sanctitatem, praecellentem *Euangelii Domini ac Dei nostri Iesu Christi* divinitatem agnitorum esse, non est, quod dubitemus. Virtus in hoste laudanda. Laudemus huius viri ac amemus excellentes virtutes, admiremur in *Dei* laudem stupendas eius dotes, quemadmodum praefantissimus noster *Lavaterus*, amicus et fautor ex paucis optimus. *Bengelii* scripta, in quibus vel inprimis

B

nodi



*nodi chronologici*, quos *Gordios* dicas, feliciter soluti apparent, illis in manus procuremus!

Preceamur Deum ac Dominum nostrum Iesum Christum, ut plures eiusmodi homines ad delenda Iudaeorum anilia adhibeat. Tantum enim superstitio verae fidei impedimentum, quantum vel maxima incredulitas esse solet.

### §. III.

*Ex impedimentis facere remedia*, sapientiae prudentis est.

Quo minus ad cognitionem veri et aestimationem boni seu quod idem est, ad sapientiam perveniant ac virtutem Hebraei, vel maxime impedit suus ipsorum fastus nationalis. Divina in se abutuntur clementia. Ad singularem Dei cultum, quo idololatria tolleretur, populus erat a Deo electus, non in perniciem ceterarum gentium, sed et in harum commodum, ut eo facilius verum etiam Deum per Iudaeos cognoscerent, sapientiae ac iustitiae studiosas se redderent paulatim gentes omnes. Hanc Dei electionem sinistrae interpretati sunt, ac si reliquae nationes a Deo vilipenderentur, contemnerentur, abicerentur, se solos esse et in perpetuum fore Deo acceptos et gloria aeterna dignos. Adeo barbaras, adeo indignas de Deo sibi cum sinxerint *ex proprio* ingenio ideas: quid mirum, si fictum suum Deum ipso vitae actu imitantur, spernendo prae se etiam quicquid reliquorum praeter Iudaeos in terris hominum est. Nunquam enim, ubi male creditur, vivitur bene.

Haec superbia cum tollit caritatem, virtutum omnium reginam, tollit aequitatem, iustitiam, tollit genuinum verum ac bonum, mens obduratur, intelligentia obtenebratur, ratio perit, homo brutescit.

Iam vero qua ratione hoc impedimentum in remedium vertendum? Concedamus illis *primas*, quas bonus Deus adsignavit eis partes. Non possunt omnes terrae tractus pari gradu ab Aequatore distare. Omnes telluris incolae solis luce fruuntur et calore, sed non omnes eodem gradu. Haec diversitas tantum abest, ut deformat mundi systema, ut potius illud pulchrius reddat. Omnes, *si velint*, sua  
luce



luce suoque calore felices esse possunt: et singuli pro sua indole ac genio *minus* id possunt, *alio* in tractu collocati si forent. Bonus Deus optima quævis omnibus et singulis prospexit. Ideo nonnullis, non in reliquorum detrimentum, sed commodum maius, primum concessit locum. In regno morali eadem obrinet ratio, quæ in naturali. Primum *Judæi* occupant in medio locum, unde reliqui collustrentur. In antiquissimo Varicinio *Iaphetidis* in *SEMI tabernaculis* assignata sedes est. Hunc Dei ordinem livido si rodimus dente, nos ipsi mordemus nos, cruciamus et angimus; non Deus nos. Haec nostra perversitas, propria infelix nostra inventio, ut aboleatur, necesse est ad nostram salutem. Spes illa aliarum quam Deo placet partium pellenda, pellendus est metus minoris inde felicitatis. Malus ille, oculis, invidere qui audeat, quod tam bonus Deus est, eruendus, abiiciendus. Satius enim nobis est, unoculos in vitam ingredi, quam duos oculos habentes in orci ignem conici. Vincamus invidiam, ut liceat nobis laetari. Gaudeamus de ordine divino, quod *Israëliitarum adoptio est et gloria et foedera et legislatio et cultus et promissiones*; quod *Israëliitarum sunt patres, ex quibus CHRISTUS EST, quod ad humanitatem attinet*, qui EST SUPER OMNIA DEUS collaudandus in sempiternum. Gaudeamus, quod nos ex naturali amputati OLEASTRO insiti sumus contra naturam IN BONAM OLIVAM. Gaudeamus, nos esse τὰ ἐδὴν συγκληρονόμα, καὶ σύνσωμα καὶ συμμετοχὰ τῆς επαγγελίας ἐν τῷ Χριστῷ διὰ τὸ Εὐαγγέλιον. Gaudeamus, quod, si vero ac bono studere velimus, *Abrahami*, quin ipsius CHRISTI, possimus esse *coheredes, totius mundi, totius universi, DEI* cum evadimus *beredes*, tamquam liberi obedientes! Non invidemus, gaudeamus nosque gaudere *Judæis* dicamus, gaudeamus quod nobis *Christo obedientibus* licebit, cum *Abrahamo, Isaaco, Iacobo*, cum *Iosepho ac Mose*, cum *Davide ac Solomone*, cum omnibus vatibus divinis, cum *Esaia et Daniele*, cum omnibus *Apostolis pro bono publico* ex gente *Judaica electis*, cum ipso *Petro, Ioanne ac Paulo*, cum omnibus illustrissimi populi



populi sanctis clarissimis, quin, quod cogitata omnia excedit, *cum ipso CHRISTO, Domino ac Deo nostro, EX IUDAEIS HOMINE*, in regno coelesti accumbere, amica uti et familiari fruique illorum conversatione, ut nostram inde et sapientiam augeamus & caritatem felicitatemque.

*Felices homines Tui*, inquit aultri ad Solomonem regina, *felices bi affeclae Tui, qui Tibi perpetuo adstantes Tuam audiunt sapientiam.*

Hoc modo Israëlitis primas concessuri, eos facilius nobis devinciemus. Narremus illis, quae ex suis ipsorum vatibus didicimus, de sua ipsorum in *Palaestinam* reductione, de splendore suae gentis futura, ad reliquas omnes illuminandas: tum nos benignius audient, monituros eos blande, sibi a suo fastu desistendum esse, ipsi Deo placere si velint. Eum enim a Deo exaltari, qui se *ipse* submittat, eumque deprimi, qui se *ipse* exaltet; soli Deo pro sua suorum bonorum dispensatione gloriam omnem tribuendam esse; omnes homines *Dei* esse, esse *omnes ex Adamo fratres*, et fratres ex *Messia* futuros; juxta suos ipsorum prophetas, omnes homines prosequendos amore; *Deum* imitandum, qui solis lucem et calorem omnibus distribuatur. Largiamur illis, *Messiam*, quem expectant, adhuc *venturum* esse, ea scilicet *omni* sensu, quo vates vaticinati sunt, ad praestanda, quae apud *Esaiam* leguntur:

#### §. IV.

Fiet *postremis* temporibus, ut fixus sit aedis Iovae mons in culmine montium et collium edicissimus confluentque ad eum gentes *omnes* et venient multi populi atque ita dicent: agite ascendamus ad montem Iovae, ad aedem Dei Iacobaeorum, qui nos de suis viis erudiat, ut eius semitis gradiamur. Nam ex Sione lex, et Hierosolymis disciplina proficiscetur.

Ille gentibus ius dicer et multos populos corriget, *ITA ut cudent ex suis ensibus vomeres et ex spiculis falces, NEQUE GENTES ALIAE*

ALII



ALIIS ARMA INFERANT, NEQUE AMPLIUS BELLA DISCANT. Surculus ex caudice *Isaci*, qui existet et qui ab eius radicibus pullulabit stolo, terras oris sui baculo verberabit et spiritu laborum suorum *necabit IMPIUM* (non *impium* in singulari) *necabit IMPIUM*, habens pro laterum cinctu iustitiam, pro ilium cinctu fidem. Itaque versabitur cum agno lupus acubabitque pardus haedo, copulatosque vitulum et leonem et taurum ducet puer parvulus. Et vacca ursusque compassentur, concubantibus eorum pullis: Et leo more boum palea vescetur; et ludet super aspidis foramen lactans infans, superque viperae cavernam deliculus puer manum agitabit.

Nusquam male aut nequiter fiet in meo sacro monte: quoniam tanta erit Iovae cognitionis plena terra, quantis operitur aquis mare.

Atque illo tempore *Isacam stirpem* expositum populis vexillum conquirit gentes eritque eius gloriosa requies.

Atque illo tempore admovebit iterum Dominus manum ad comparandas sui populi reliquias, quae restabunt ex *Assyria*, *Aegypto*, *Parthia*, *Aethiopia*, *Elamitide*, *Babylonia*, *Hematha* et *marinis insulis*.

Elatoque gentibus vexillo colliget dissipatos *Israelitas* disiectosque congregabit *Iudaeos* EX QUATUOR terrarum regionibus.

Ac facesset *Ephraimitae* invidia, *Iudaeorumque* excindentur *adversarii*, neque *Iudaeo* invidet *Ephraimita*, neque *Ephraimitae* *adversabitur Iudaeus*, quin statim in *Palaestinorum* humeros involabunt ad *Occidentem*, et *Orientales* depraedabuntur; *Idumaeis* ac *Moabitis* manus adferent et *Ammonitas* ditionis suae facient,

Itemque vastabit Iova linguam *maris Aegyptii*, et admota manu sua flumini, vehementia sui spiritus id in *SEPTEM* scindet fluvios, pervadendum etiam calcetis, quo via sit reliquiis eius populi, quae et ex *Assyria* superverunt, quemadmodum fuit *Israelitis tum*, quum ex *Aegypto* profecti sunt.

Itaque ad te (gens *Israelitica*!) sese recipient humiliter homines,



qui te adfixerint, et tuorum pedum vestigia venerabuntur omnes tui conviciatores, neque *Iovae urbem, Sionem Augusti Israelitarum* appellabunt.

Pro eo, quod deserta, invisâ et inaccessible fueris, efficiam in te sublimitatem aeternam, voluptatem perennem, adeo ut ceterarum gentium lac regumque fugas ubera, sciesque me *Iovam* esse servatorem vindicemque *Iacobaeorum* numen.

Pro aere inducam *aurum*, pro ferro inducam *argentum*, pro lignis *aes* proque lapidibus *ferrum*; efficiamque ut pro tui administratione sit pax et pro *Magistratibus iustitia*. Non iam crudelitas in tua terra, non vastitas aut calamitas in tuis finibus audietur, tuosque muros salutem et portas laudem appellabis.

Non amplius tibi sol interdiu lumen praebebit neque lunae splendor illucebit (scilicet prout hactenus) sed erit tibi *Iova lux aeterna* Deusque tuus decori. Non occumbet amplius tuus sol, tuave luna occidet; nam *Iova tibi lux erit aeterna, FINITA tui luctus die*. (Nemo non videt hanc genti *Israëliticae* aperte promissam *perpetuam felicitatem* nunquam adhuc exitisse.) *Erit et lunae lux ut lux solis, et solis lux, septuplex ut septem dierum lux, tum, quum obligaverit Iova sui populi fracturam et insictum ei vulnus sanaverit.*

Tuus autem *Populus, iusti omnes, semper terram possidebunt*: a me fata stirps, manuum mearum opus, quod *mibi sit honestamento*, inquit *Iova*.

*Minimus in mille, minutissimus in populosam gentem excrescet*: id quod *EGO IOVA suo tempore ACCELERABO*.

*Quis iste VENIT ab Idumaea, rubicundis vestimentis a Bosra? iste magnifico vestitu, summa vi incedens? Ego, qui iuste loquor, vi-Horiosus.*

*Cur Tua rubet vestis, Tuaque indumenta similia sunt eius, qui torcular calcatur?*

*Presum*





*Prelum calcavi solus, neque mihi quisquam ex populis adsuit: quumque eos ira incensus calcando contunderem, adpersa vino sunt indumenta mea vestitumque meum omnem infeci. Nam mihi ulciscendi dies in animo est meorumque redimendorum venit annus.*

Quumque nullum adiutorem, nullum esse adminiculatorem animadvertens MIRARER; victoriam mihi meo pepererim lacerto, mea mihi adminiculante bile POPULOSQUE iratus contudi, et bile mea inebriavi, deiecto ad terram eorum potentatu.

## §. V.

Tum QUINTA existet Monarchia, diu promissa, genti *Israëliticæ* promissa, quæ in æternum, ad mundum usque per ignem renovandum perstabit. *Istorum* enim, ut *Danielem* audiamus, istorum ex quarta nimirum oriundorum Monarchia, regnorum temporibus suscitabit Deus coelitus NUNQUAM EVERTENDUM REGNUM, cuius imperium NON RELINQUETUR ALTERI, quod QUIDEM ILLA OMNIA REGNA COMMINET AC CONFICIET; IPSUM AUTEM DURABIT AETERNUM, quemadmodum vidisti de monte abscissum nullis manibus lapidem, qui ferrum, aes, cretam, argentum aurumque contrivit.

Atque ita imperii, quod toti coelo subiacet, regnum, potestas, amplitudo tradetur supremorum Sanctorum populo, cuius regnum erit æternum regnum, quemque potestates omnes colent (populum) ac ei obedient. Regnabit autem iuste Rex, et Principes ex æquo imperabunt.

Neque alucinabuntur oculi videntium. Aures audientium attendent. Temerariorum disset animus intelligere, et balborum lingua expedita et articulate loquetur.

Nam iam vesanus vocabitur nobilis, aut avarus dicetur liberalis. Nullus, qui suo titulo indignus, existet.

Hæc Iovæ beneficentia, Iovæ tot bona in *Israëliticam domum*. Quin lætabimini et exsultabitis in perpetuum, auctore me, quippe qui creaturus sum exsultantem *Hierosolymam* eiusque populum lærantem

tem



tem et ita Hierosolymae et in meo populo laetus exultabo, ut in ea non amplius audiatur ploratus aut querimoniae sonitus.

*Non erit illinc amplius aetate infans aut senex, qui non suam compleat aetatem. Nam qui centum annos natus morietur, puer erit, et qui sors centum natus annos, adficietur supplicio.*

Quasque domus aedificaverint, eas incolent, et quas conseverint vineas, earum fructu vescentur. Non aedificabunt, quod habitent alii; non serent, quod comedant alii: quin erit meorum aetas similis aetatis arborum, suarumque manuum opere fruentur electi mei. Non frustra laborabunt, nec in cassum gignent: erunt enim proles, cui saveat Iova, itemque eorum pragenies. Ac prius quam invocent, ego exorabor, et adhuc loquentes exaudiam.

*Lupus et agnus simul pascentur, et leo ut bos stramen comedet, serpentisque victus erit pulvis.*

*Non nocebitur, neque corrupte agetur in toto meo sacro monte, dicit Iova.*

#### §. VI.

In hoc effectu adventus Messiae nondum revelatus est, in hoc effectu adhuc futurus est. Hunc terminum largiamur Iudaeis, ut oracula divina conciliemus eoque facilius devinciamus nobis illorum animos.

Distinguendus enim, adventum Christi quod attinet, adventus in humili carne ab adventu glorioso eoque, quod bene notandum, secundum clara codicis divini effata, DUBLICI; altero, quem medium dicamus, ad delendum Antichristum κατ'εξοχην, altero, quem ultimum licet, appellare licet ad totius systematis mundi reformationem igni absolvendam, OMNIBUS mortuis resuscitatis.

Triplex hic adventus, ut de adventu spirituali et mystico minime negando nunc nihil dicamus, differt quidem ut finis, causa et effectus,



*fectus*, sed arctissime in omni rerum nexu cohaeret, ut *primum, medium* et *ultimum*: ideo in vaticiniis saepius coniunguntur. Caveamus itaque, ne confundamus. Hic valet illud: distingue tempora: et concordabit scriptura.

Modo ex *Esaiâ* et *Daniele* allata, nondum, prout aperta verborum vis exigit, impleta sunt, ergo adhuc, ut verbo divino suus constet valor omnis, implenda, adhuc futura sunt, *altero* Messiae adventu praestanda.

Haec *Iudaeis* gaudio sunt ac honori: propterea persuaderi facilius sibi patientur, vera esse, quae de eodem Messia in humili suo adventu praedicta quaeque nullibi, nisi in *Iesu Nazareno* completa reperiuntur.

Si autem *adhuc implenda* etiam ut iam *impleta* proponuntur; tum et vera interpretatio eorum, quae facta iam sunt, in suspicionem apud *Iudaeos* et dubitationem et negationem adducitur, verbis admodum inhaerentes. Concedamus igitur, multa adhuc in terris futura, cum Messiae adventu, stilo prophetico, coniuncta. Concedamus, gentem *Israëliticam* ceterarum principem fore, gentium copias ad se perventuras earumque reges adductum iri.

Sic enim *Iova* per *Ieremiam* dicit, *Iova*, qui et solem diurno et lunae stellarumque leges nocturno lumini tribuit, quo mare findente murmurant eius fluctus, cuius nomen est armipotens IOVA: *Si mutabuntur hae leges apud me*, inquit *Iova*, *etiam Israëlis progenies desinet coram me gens esse perpetuo*. Sic dicit *Iova*: Si et superum coelum metabitur et inferae terrae fundamenta pervestigabuntur: etiam ego *omnem Israëlis progeniem repudiabo ob eorum facta omnia*, inquit *Iova*.

Futurum est, inquit *Iova*, ut *construatur urbs Iovae* a turri *Hananeelis*, ad portam angularem, praeter quam prodibit porro *mensoria* linea ad *Collem Ganeb*, *Goatbamque* circumdabit. Ac tota *cadaverum cinerisque vallis* totique *Campi*, usque ad *torrentem Cedronem*,

C

usque



usque ad angulum portae equorum, ad orientem, erunt Iovae sacra, Nullo deinceps aevo diruenda aut evertenda. Hunc in modum Hierosolyma cum nunquam adhuc exstructa fuerit; nec ullus verborum divinorum periturus sit apex, quin compleatur: ista exaedificatio adhuc certissime expectanda non est quod risum moveat derisoribus, modo ad rerum humanarum continuas vicissitudines velint attendere et mira gentis Iudaicae fata animo recolere.

§. VII.

O quam praeclara adhuc in terris futura opera Iovae a factis vaticibus praedicta! Ut iam nihil de Gogo et Magogo ceterisque multis momentis ex Ezechiele, nihil de novissimis ex reliquis prophetis afferamus, audiamus quae extant evidenter apud Zachariam profecto nonnumquam impleta.

Ecce Iovae dies adventat, qua dividuntur in te tua spolia, cogamque gentes omnes ad Hierosolymam ad bellum, et urbe capta diripientur domus et mulieres violabuntur: migrabitque dimidia pars urbis in exsilium, reliquus populus non extirpabitur ex urbe.

Egressusque Iova pugnabit cum gentibus illis, sicut tum, quum in illo conflictu pugnavit. Stabunt autem eius pedes in illa die super OLIVET MONTE, qui est in Hierosolymae conspectu, ab oriente: FISSOQUE MEDIO OLIVET MONTE ad orientem et ad occidentem, FIET PERMAGNA VALLIS, altero montis dimidio ad septentriones, altero ad meridiem vergente.

Fugietisque per montium meorum vallem. (nam montium vallis pertinet ad Azal) et fugietis, quomodo fugistis ob terrae motum, temporibus Oziae Iudaeae regis.

Venietque Iova Deus meus, COMITANTIBUS EUM SANCTIS OMNIBUS. Et tum quidem non erit cara dies aut concretio; sed erit UNA DIES, quae IOVAE NOTA EST, neque dies, neque nox: ac vespertino tempore erit lux. Atque illa die manabit vitalis aqua Hierosolyma, parte sui dimidia ad orientale mare, altera dimidia ad mare postremum, idque et aestate fiet et hieme. Et erit Iova rex in UNIVER-SAM terram. Illa die erit et IOVA UNUS et eius nomen UNUM.

Circu-



Circumbitur *TOTA terra tanquam PLANITIES, a Gaba ad Remmonem, ab austro Hierosolymae*, quae sublimis suo manebit in vestigio a porta *Beniamitica* ad locum primae portae, ad portam angularem, turrimque *Hananeelis* et ad regia torcularia: eaque *habitabitur, Nullo futuro deinceps excidio, agetque in tuto Hierosolyma*. Hac autem clade adficiet Iova *populos omnes, qui contra Hierosolymam militaverint: Tabescent eorum corpora, et eis in pedes stantibus, eorum et oculi in suis cavis et linguae in oribus tabescent*. Atque illo tempore tantus erit in eis *Iovae tumultus*, ut alter alterius manum prehendam suamque manum imponat alterius manui, adeo ut etiam *Iudaei Hierosolymam oppugnent: congerenturque facultates omnium undique gentium, aurum, argentum, vestes, maxima copia*.

Atque ita equorum, mulorum, camelorum, asinorum, omnium denique *quadrupedum, quae in castris illis erunt, clades erit illi cladi similis*. Ac quicumque ex cunctis gentibus Hierosolymam adoraverint, vadent quotannis *adoratum regem IOVAM armipotentem, celebrarumque festum umbraculorum: quique ex terrae nationibus non fuerint Hierosolymam profecti, adorandi regis armipotentis Iovae gratia, non habebunt pluviam*.

Nonne haec congruunt evidenter cum iis, quae in *Apocalypsi* de ingentibus orbis terrarum mutationibus uberius exponuntur, quaeque expressis verbis ad vaticinia antiqua referuntur capite decimo?

Capite decimo sexto inter alia leguntur haec: Sextus angelus phialam suam effudit in magnum flumen *Euphratem*, et aruit eius aqua, ut pararetur via *regum*, qui essent a solis ortu. — Vidi *Spiritus immundos* — qui efficiunt, ut edantur *ostenta, ad terrarum et totius orbis reges, quo eos congregent IN PRAELIUM ILLIUS MAGNAE DIEI OMNIPOTENTIS DEI*.

Congregavit autem *in locum, qui hebraice vocatur Armageddon*. Deinde septimus angelus phialam suam *in aërem effudit* et prodidit magna vox ex coeli fano, ex folio dicens: *Factum est*.

Exsisterantque sonitus et tonitrua ac fulgura, *TANTUSQUE terrae motus factus est, ut POST HOMINES IN TERRIS NATOS tantus, tam ingens TERRAE motus NULLUS exsisterit*.



Divisaeque est urbs magna *in tres partes*; et *gentium urbes corruerunt*. — — — *Omnes insulae fugerunt. Et montes nusquam exsisterunt.* Hinc facile intelliguntur, quae Zacharias de PLANITIE IN TOTA TERRA vaticinatus est. Cum enim fugerint insulae *omnes nec ulli amplius exsiterint montes*: nonne tum terra *omnis complanata* erit? Et *ingens grando* ad talenti magnitudinem de coelo delata est in homines, feceruntque homines convicium Deo, *ob grandinis cladem*: tam *gravis erat illa clades grandinis.*

Et capite decimo septimo: Decem, quae vidisti cornua, *decem reges* sunt, regnum nondum adepti, sed potestatem *ut reges eadem hora* adipiscerentur cum *bellua* (illo homine *κατ' ἐξοχὴν* impio eoque *Antichristo* singulari.)

Si eundem animum habebunt, suasque vires ac potestatem *belluae* tradent.

Si *CUM AGNO bellum gerent* eosque vincet agnus, utpote *Dominorum Dominus et Regum Rex*, nec non *cum eo vocati, electi ac fideles.*

Nonne hi *sancti* illi omnes *Iovam*, secundum Zachariam, in bello isto *comitantes*?

Et quam clare capite decimo nono! Vidi coelum *apertum*: et ecce *albus equus*, cui qui infidebat, vocatur *fidelis et verus*, iusteque et iudicat et belligerat — — — Indutus est pallio tincto sanguine et nomine vocatur *sermo Dei*: eumque sequuntur in equis *albis exercitus* coelestes candido mundoque byssino induti.

Nonne hi *Iovae* in bello *comites*, de quibus Zacharias? *Ex illius ore prodit gladius acutus*, quo gentes feriat, quas ipse ferreo baculo reget: idemque calcabit torcular vini saevitiae iraeque Dei omnipotentis. Habet autem in pallio et femore suo scriptum nomen:

Regum Rex et Dominorum Dominus.

Praeterea vidi alium angelum in sole stantem, qui magna voce *clamans* omnes medio coelo volantes *aves* sic adlocutus est:

*Adeste et coite ad magni Dei coenam*

ut regum, ut tribunorum, ut potentum, ut equorum equitumque,

ut



ut omnium tum liberorum tum fervorum, tum parvorum tum magnorum carnes comedatis.

Vidi et belluam *terraeque* reges et eorum exercitus congregatos ad bellum gerendum cum equi equite ac eius exercitu. Verum comprehensa est bellua et cum ea falsus vates, qui in eius conspectu fecerat ostenta, *quibus deceperat eos*, qui bestiae notam acceperant, quae eius venerabantur imaginem. *Duo illi vivi coniecti sunt in stagnum ignis ardens sulphure. Reliqui gladio necati sunt* sedentis in equo, qui gladius ex eius ore *prodebat*, eorumque carnibus satiatae sunt omnes alites.

Nonne haec apparenter conveniunt cum iis, quae de clade *hominum et quadrupedum*, in praeclarissimo Iovae praelio praedixit divus Zacharias vates? Nonne hoc modo *Iudaei apocalypsi CHRISTIANAE* favebunt, commonstrata illis eius cum antiquis vaticiniis aperta convenientia? Et quae de *equis* in coelo albis tradit Apocalypsis nonne admodum concordant cum iis, quae posterioris libri Regum capite sexto de monte *equitatu* pleno deque *Elisaeo curribus igneis* circumdato narrantur? nec non capite secundo de *CURRU igneo, igneisque EQUIS*, quibus *Elias ascendit in coelum*? Quae *historica* narratio simplex et plana *prophetica* illustrat atque confirmat.

#### §. VIII.

Sceptico instanti fortean, illa prophetica non *proprie* sumenda esse, hunc in modum respondeo: Nonne propheticum erat dictum per Zachariam:

Exsulta vehementer puella Sion! Exclama laete puella Hierosolyma! ecce tibi venit rex tuus, qui iustus et victoriosus est, humilis *equitans in asino et pullo asina nato*.

Nonne haec verbotenus impleta sunt? Quid? si haec verba in sensum spirituales seu mysticum allegorice detorsa literalem sensum perdidissent: nonne ipsum effatum, *prout docuit eventus*, in cassum cecidisset?

Retineamus in vaticiniis etiam, quantum fieri potest, sensum *femper* literalem: tum *Iudaeos* strenue illum urgentes in nostras faci-



lius lucrabimur partes. Hac etiam ratione codici sacro sua constat certitudo.

Ita sacris Bibliis honor reddetur. Ista impleta cum exstiterint, signorum memoratorum singularium patebit usus, quae parvi quidem in se videntur momenti, sed *ob vera confirmanda* magni facienda. *Accurata* divini codicis veritas tum vel maxime constabit, cum *Hierosolymsa*, vaticiniis completis, totius terrarum orbis exsister

*Sancta Universitas.*

Ita cum *Iudaeis* loquamur, ut attendant ad nostram *Apocalypsin*, ut divinam aequae eam agnoscant ac antiquiora vaticinia per eam illustrata, confirmata, amplificata, in primis cum memorata impleta fuerint. Et si putas, ex sola *Apocalypsi*, quamvis cum antiquis collata vaticiniis, futuras, quas perhibemus, mundi vicissitudines evinci non posse: audias quaeso *Paulum*, quem in *Epistolis* non dixeris allegorizantem. Quam aperte et quam particulatim eundem illum praeclearum eventum, a quo tot tantaeque terrarum orbis pendeant mutationes, praedixit altera sua ad *Thessalonicenses* epistola.

Rogamus vos fratres, quod attinet *ad adventum Domini nostri Iesu Christi et nostri ad eum adgregationem*, ne cito de sententia dimoveamini, neve turbemini, *nec spiritu*, nec oratione, nec epistola, cuius nos auctores esse videamur, quasi instet *Christi dies*. Nemo vos ullo modo decipiat. Nam non prius id futurum est, quam venerit defectio et patefactus fuerit *homo flagitiosus*, homo ille perditus, qui adversatur et se supra quicquid dicitur Deus aut numen extollit: adeo ut in Dei templo tamquam Deus sedeat, sese Deum esse ostendens — — —

Exsister ille *scelerosus* — — cuius scelerosi adventus, *Saranae* opera, erit cum *OMNI falsorum prodigiorum, portentorum, miraculorumque* genere, cumque *OMNI scelere fraude* coniunctus apud perituros quidem: quoniam *veritatis* amorem, quo *salvi fiunt*, non admiserint.

*Propterea* mittet eis Deus vim erroris tantam, ut *credant mendacio*, quo damnentur, quicumque veritati non crediderint, sed *sceleribus* delectati fuerint — — —

Hunc



Hunc *scelerosum* *κατὰ τὸν* filo Pauli et Esaiæ, hunc *scelerosum Dominus*, inquit Paullus, *oris sui Spiritu consciet* ADVENTUSQUE SUI *claritate delebit.* Quis non videt, hic non agi de mundi extrema crematione, ultima omnium resurrectione, quicquid mortuorum hominum fuerit, de qua sub finem capituli Apocalypseos vigesimi agitur; sed de adventu ad magnam illam orbis politici, ecclesiastici ac literati universam, delero regno *Antichristiano*, reformationem, toties a vaticibus divinis prædictam, Apocalypsi confirmatam, illustratam et auctam?

## §. IX.

Hunc in modum fiat igitur nostra cum Iudæis de religione disputatio: sic antiquorum suorum vatum, sic totius verbi prophetici constabit sibi veritas, lux atque candor. In reliquis religionis etiam articulis, *de Trinitate divina* *de Archisacerdotio Christi*, non nisi verbis divinitus loquamur inspiratis.

Voce *personarum* si velimus uti, eidem respondere dicamus Hebraeorum *פָּנִים* (panim).

Christi pontificatum illustremus quam maxime ex cultu Israelitarum antiquo, doctrinam de *victimis* solerter inquirendo, ut iustas nobis *divinarum institutionum* formemus *ex codice sacro* notiones, memores semper moniti *Aguris* lacæ filii:

Quis *in coelum* ascendit et descendit? Quis *ventum* pugnis suis comprehendit? quis *aquas* veste constrinxit? Quis constituit omnes *terrae* fines? *Quod est EIUS NOMEN?* aut *Quod eius FILII NOMEN est?* Si nosti.

Omnis *DEI* sermo *exploratus* est, clipeus eo fretis. *Noli eius verbis* ADDERE, *ne te redarguat* et *FALSITATIS* convincat.

*Vanitatem FALSAMQUE orationem a me remove.*

In doctrina de *CHRISTO*, spretis omnibus *humanis* figmentis, relictis omnibus *philosophematibus*, *exordiamur* ab *IPSIS DEI* verbis in *paradiso* ad *antiquum serpentem* pronuntiatis:

*Eas inimicitias inter te et mulierem interque tuum et eius semen conciliabo, ut illud TIBI caput, TU illi calcem illidas.* Intendamus in *haec* verba *animus*: *TU, TU illi calcem: illud TIBI, TIBI caput.*

*Volvea-*



Volvamus ac *revolvamus integrum codicem divinum*, a *Mose ad Ioannem usque*, ut videamus, qua ratione paradisiacum illud protevangelium magis magisque illustratum, corroboratum, ampliatum in omnibus divinis oraculis reperiatur — *O ineffabile divinum institutum, Summus CHRISTI Pontificatus!* in rerum creaturarum salutem, aeterni numinis *in Christo habitantis*, quocum ipse *unum* est, gloriam, omnibus aeonibus, quin in infinitum, in omnibus totius universi tractibus, decantandus, ut resonent in animorum sincerorum omnium laetitia sanctam et castam omnes omnium coelorum regiones atque societates. Deum *in Christo* trinum ut agnoscant Iudaei, demus eis legendas ad *Colossenses* et ad *Ephesios* scriptas *litteras Apostolicas*. Ut recte sentiant de *Christi Pontificatu*, legant commentarium *Pauli ad Hebraeos*. Ita cavebitur, ne *paludibus* conspurcetur *humanis* sanctissima haec doctrina, nec *Christi CRUX*, *humanitatis* suae gloria, in cassum vertatur.

## §. X.

Sis nobis propitius Domine! Miserere *Israëliticae gentis*, ut beati eiusdem maiores, *Abrahamus, Isaacus, Iacobus, Iosephus, Moses, David, Esaias, Daniel, Petrus, Ioannes, Iacobus, Paullus*, et omnes sancti vates laentur in coelis de posterorum salute. Miserere *orbis christiani* in tot partes misere scissi, ut *veri ac boni* studiosior evadat. Fave hac etiam de causa *Regi nostro* per Te potentissimo, et *Principi Regni Heredi*. Fave toti *regiae domui*, ut sit Ecclesiae fulcrum in longum tempus, bonorum tutela, malorum terror. Fave huic *Urbi et Academiae* in ea magis magisque florenti. Fave nostrae, fave omnibus *scholis*, ut ex Tuo placito erudiantur juvenus ad *utilem scientiam, genuinam sapientiam, iustitiam divinam*. Sit *Nomen Tuum benedictum* in patria nostra, in *omnibus terris!* Benedicas laboribus illorum, genti *Israëliticae* bene qui cupiunt eique *verum et bonum* quovis meliori modo insinuare student, *LAVATERI* cum primis in *Helvetia*, *BURGMANNI* in *Anglia*. *CALLENBERGICUM* Institutum fortunatum esse iubeas. Fortuna eos omnes, bene qui volunt *generi humano*, ut de terricolis coelum laetetur atque exsultet. Dixi.

ERRATA. p. v. lin. pen. l. cur. p. vii. lin. 23. l. communicato. p. xi. lin. 22. l. *Divi*.  
lin. 23. l. *επαγγελίας*. p. xii. lin. 19. l. eo. p. xv. lin. 27. l. *nor*.



AB

52  $\frac{17}{1,3}$
















AB 52  $\frac{17}{k_3}$

X 2286850









I. G. HASENCAMPPI  
GYMNASII DUISBURG. RECTORIS

# ORATIUNCULA

DE

OPTIMA CUM IUDAEIS

DE

# RELIGIONE

DISPUTANDI METHODO

EDITA

A

I. C. LAVATERO

V. D. M. TURICI.



---

FRANCOFURTI AD MOENUM  
Typis et impensis Haeredum I. L. Eichenbergii,  
MDCCLXXII.

6  
0.4/2

